Quelle: http://manuscripta.at/?ID=460
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ficati, digni efficiantur iustificatione. Et item procedit in aliis pecca-
toribus qui digni sunt obduratione. Sed quid intelligere voluerint nescimus.
Nisi forte dixerimus eum in hoc intellexisse, quod superius diximus eum retrac-
tasse. Nunc de voluntate dei restat videre.

De voluntate dei.

Voluntas dei prima causa est omnium, et ideo immutabilis.
Alie enim cause mutabiles sunt, quia non sunt prime, et ideo sepe fallunt.
Sed hec quia non habet causam ante se, falli non potest vel mutari. Et quia voluntas
dei prima est causa omnium, cum dicatur: hoc ideo est quia deus voluit, non est que-
rendum quare deus voluit. Prime enim cause nulla causa est. Cum vo-
luntas divina una sit, que est ipse deus, propter tamen diversos effectus plu-
res dicuntur voluntates eius. Unde in propheta: Magna opera domini, exqui-
sita in omnes voluntates eius. Sic idem propheta propter effectus misericordie et iusticie
pluraliter dixit: Misericordias domini in eternum cantabo, et cetera. Et alibi: Iusticie
domini recte letificantes corda. Cum tamen quantum ad ipsum deum una sit
misericordia, una iusticia, que est hoc quod ipse. Sic et de voluntate. Nota quatu-
or esse signa divine voluntatis. Nam voluntas dei in sacra scriptura
aliquando accipitur ipsa que idem est cum deo, et ipsi coeterna est, et hec vo-
luntas semper implebitur. De hac dicit apostolus: Voluntati eius quis resis-
tit? Et alibi: Ut probetis que sit voluntas dei bona et beneplacens
et perfecta. Et potest hec voluntas beneplacitum dei vel dispositio appel-
lari. Unde propheta: Quecumque voluit fecit, id est quecumque disposuit se fac-
turum. Aliquando preceptio et prohibitio dicitur voluntas dei, quia signa
sunt divine voluntatis. Ut signa ire appellantur ira, signa dilec-
tionis dilectio. Et dicitur irasci deus et non est ira in eo, sed signum tamen quod
foris fit quo deus irasci ostenditur ita appellatur, sicut in Egyptiis submer-
sis. Ita preceptio vel prohibitio quia indicant nobis quid deus velit, volun-
tas dei nominatur, de qua dominus in evangelio: Fiat voluntas tua sicut in